





12

1594, 2

4



JOANNIS ^{Caselin} FELII

KΥΒΕΡΝΗΤΙΚΟΣ

SIVE

De officio rectoris academici

L. ORATIO. J. C. 10.

Tobia Hubnero. φίλος

φιλάτατος.

μασίλης.

P. 412.



HELMAESTADII
IN ACAD. IVLIA

• clō 15 xciv.





Ὑ μάλα Φ... και, και πιστι μαρτυρες αυτα
 παντες ομα, οτι αι ψ' αρχη δεικνυσι τον ανδρα
 οιον θυμον εκαστος ενι πρσιπιδεσσι κενευσε,
 θωρηχθεισ μεγαλη δυναμη και καρτι λαων.
 αυτικα γδ τότε πασι πολιτας φαινετ εν ασει,


ει κενεης δοξης θυμων τ' αδικων θπιθυμει,
 η θυμη αγαθω και σωφρονη εννομη δρεκει.
 ει φιλοχρηματ' εστι θυην, πλεττατ' ανθρωπος,
 η ολιγων δειπαι, οια ζων σκ ακολασως.
 ει μυθω τε νοωτ' ειδετ' ωμος και απηνης,
 η ελεημων πασι φιλανθρωπος τ' ενι ασει.
 ει ραθυμη εφυ δεδμηδρυ ηδονη αργη,
 η φιλομοχος ανηρ και κρειττων μαλθακω υπνη.
 ει δηλος φαυλων κακοτηη και υβρεσιν εικη,
 η μεγαλοφρων εστι κακουργοις τ' αυτια θαινη.
 ει υς ατερ πρσιπιδων αλα ωει παντα τετυκται,
 η πινυτ' ες πολεως ευ οιδε οιηια νωμαν.
 Αρχη θαυμασθη ταδε δειξει, καλλ' αποφαινη,
 και νοον αρχοντων προφωσδ' ηνεγκατο δημα.

Λωδυνης
 Θεοφάνης


NOB^{mo}. V. AVGVSTO DE
ASSEBVRG. IN NEENDORF.

S. D.

JOANNES CASELIUS.

 Illustris erat, & sapiente consilio decreta legatio, quam dux noster & Argus Iuliae nauclerus, ἐπὶ ἐφορεία huc mittebat; nec verò minus utilitatis attulit, quàm necessaria visa fuit. Tali animaduersione siue cura opus fuisse, mirum videri nemini debet. In vnaquaque enim ciuitate quotidie oriuntur, quæ emendationis egeant: sed multò magis in noua, vt hæc est academia, consilio & sumptu ducis Iulij, auspicijs Maximiliani II. condita. Plato etiam in sua illa absolutissima & diuina, quam sanctissimis legibus exædificarat, tamen custodes legum constituit: qui non solum latas interpretarentur, si quid vel improbitas peruicacium distorqueret, vel vulgi inscitia non caperet, sed etiam nouas necessarias adderent, si quas desiderari animaduerberent.

A 2

Igitur,

Igitur, quo nomine aduenit legatio; ea & de iudicio sapientum sapienter instituta gestaque sunt, & bonorum prædicationem merentur, & beneuolentiam omnium, & gratum eorum, ad quos pertinent, animum. Id autem nos potissimum intelleximus, quibus iuuentutis salus, & academiæ dignitas credita esset, quique magnitudinem illius beneficii primum sentiremus. Quare & eo ipso tempore visum fuit senatui academiæ, ut exquisita oratione publice auctori tanti boni gratiæ agerentur: ac mihi tum statim eam prouinciam collegæ demandarunt, qua ex aliquo intervallo perfunctus fui, ut quidem potui. Rei enim amplitudinem forte, neque disertior aliquis assequeretur. Ipsa oratio in manibus eorum hodie est, qui talia non negligunt, siue quod ad primè honestam voluptatem ex litteris capiunt, siue quod earum cultum tum ciuitatibus, tum unicuique non inutilem esse existimant: quas equidem ipse, & priuatim & publice, modo rectè colantur, saluti esse asseuerare audeam. Nec ex ea nihil alij discant, non quod ibi ego mihi docendi partes sumpserim: refero bona fide, mediocri genere orationis, quæ deliberata, quæ gesta, quæ constituta:

stituta: quæ in hoc genere exemplo erunt posteritati: & hodiè esse possint: sed hoc sæculo fit, quod alijs, vt plæraque, non dicam ex libidine, sed opinione potius administrantur, quàm probis rationibus, & exemplis bonis. Actæ igitur fuerunt gratiæ principi: neque nullas legationi deberi intelleximus, potestque ex eodem loco gratus noster erga vos animus perspici. Quanti verò ipse eorum quemque facerem, aut faciendum iudicarem; eius siue iudicij, siue beneuolentiæ, siue grati animi indicationem in tempus commodius mihi reseruauit. Vix enim fieri posse arbitrabar, vt qui multa præconia in vnum locum coaceruaret, adulationis suspicionem effugeret: & verò ab illa longissimè abesse vir bonus velit, atque insuper eam, quantum possit, amoliri debeat. Nec sanè conuenire censeam laudationum aliquot in se comparisonem, quam instituere, arrogantiane maioris sit, an stultitiæ, non facile dixerim. Quod probare & alijs & ipse quoque mihi possim, hoc cæpi: & agam porro, vt cuiq; vestrum, qui tam salutare negotium gessistis, nos plurimum debere ostendam, qua possim significatione obseruantia. Hoc potissimum

A 3

causæ

causſæ habui, vt hanc orationem ad te mitterem:
præterea tibi notum eſſe volui, te à me non mi-
nus obſeruari, quàm ab alijs virtutum & doctri-
næ cultoribus fieri intelligam. Quæ verò ani-
mi tui eſt bonitas, quæ in te haud vulgares lit-
teræ, quod erga eas perpetuum ſtudium; neque
ex eo tempore cognitionem de academia Iulia
minueris, neq; vñquam abijcies: neque ſolum
ipſe aliquid boni conſilij depromes, quod iuuen-
tuti, & nobis ſaluti ſit, ſed & tum ipſum huius ſa-
cræ nauis dominum interdum monebis (etenim
eum in perpetuis negotiorum fluctibus à tanto
viro moneri, nefas eſſe nemo ſanus dixerit) tum
tui ſimiles, viros dignitate & auctoritate prædi-
tos, vt te in hoc tam pio ſtudio æmulentur, &
exemplo & rationibus excitabis. Hæc etſi vltro
facies, tamen, vt ſingulariter tibi curæ eſſe patia-
ris, obteſtari te audeo, præſertim, cum negotium
publicum agatur, quod & ad alias gentes, & ad
alterum ſæculum, ſiue plura etiam pertinet. Vi-
di enim à ſapientibus quoque frequentatum, vt
magnoſ viros id rogarent, quod ipſi vltro, vel
maximè facerent: nimirum ea eſt non dubitan-
tium, ſed collaudantium oratio: quæ moleſta
per ſe

per se esse non potest. Me denique à te beneficio affectum putabo, si meum hoc erga te studium non adspernaberis. Vale. Helmæstadij in acad. Iulia. VIII. Id. Mart. clō. lō. XCIII.



KΥΒΕΡΝΗΤΙΚΟΣ

S I V E

De officio rectoris academici

O R A T I O.



Ortè à familiaribus acceperam, Parcoui, futurum, vt mihi munus academicum de manu in manum traderes. Id licet omnes apud animum rationes dispicienti, nemo persuaderet: tamen, si in tua solius potestate fuisset situm, multis ego te modis obsecrarem, vt mihi hac ætate & inualetudine, pænè hospiti, & talium honorum insolenti, parceres. Sic inaudiueram: verum quia leuiter credebam, non faciebam contrarium ei rationi, quam prehensatores se-

res sequi solebant, ne arte magis ambire, & in id
inhiare viderer: quod nemini inuiderem, &
quodam modo fugerem. Quod si adfuissem,
cum pænè omnium suffragijs pro rectore desi-
gnarer, non reluctari me vestræ voluntati debu-
isse intelligo, sed rogassem vos tamen, si quid se-
cus statui posset, vt videtur potuisse, id potius se-
queremini. Vt autem indicem huius designati-
onis audiui, de iudicio de me tot præstantium vi-
rorum gauisus sum, apud quos me in precio esse
animaduenterem: nec verò cogitationem decli-
nandi oneris, quod cum honore primario esset
coniunctum, statim abieci: sed ea nusquam lo-
cum habuit, non simulata petitio. Itaque æquo
animo suscipio in me, quod iubeor: & æquo ani-
mo tolerabo, nec quidquam omittam omnium,
quod & cogitando inuenire, & re ipsa præstare
valeam boni. Nec aliud verò, aut certè nihil po-
tius mihi intereà in mentem veniet: quin ipsam
hisce mensibus in hoc negotium defigam, neq;
aliò deferri omninò patiar. Quare etiam, cum
initium hoc sit mearum partium, vt, quod vide-
atur ab hoc auditorio non alienum, modo di-
cam publicè, de dignitate & officio rectoris aca-
demi-

demici agam: non quod illud omne ipse intelli-
gam: sed quòd qui nihil hic, aut perperam intel-
ligat, omissurus eius aliquam partem, aut prauè
gesturus videatur: qui intelligat autem, in quo
potissimum, tanquam in cardine, versetur, ab eo
aliquid expectari possit. Simul autem etiam ap-
parebit, quanta huius rei difficultas sit: mihi cer-
tè summa esse videtur. Primum enim nemo fa-
nus, & rationum humanæ vitæ non penitus ex-
pers, inficiabitur, quin difficultas sit in omni ma-
gistratu, maximè in primario. Siue autem de re-
gno loquamur, siue de aliqua ciuitate, siue de ob-
scuro oppido; qui parent vno eodemq; loco plæ-
riq; nascuntur, enutriuntur, non dissimilimis in-
stitutis educantur: nec pauci eorum ad eam æta-
tem veniunt, vt tam annis, quàm moribus offici-
um colere didicerint, nec magistratibus multum
molestiæ faceffant. Contraria his multa eueni-
unt in nostra republica, quam academiam voca-
mus. Quotus enim quisq;, aut ciuis academiæ
nascitur, aut in academia consenescit: ac non an-
te iustam ætatem aut in patriam reuertitur, aut
migrat quouis gentium? Aliunde ad nos veni-
unt ad vnum omnes: nec solum ex prouincijs

B

Germa-

Germaniæ, quæ ipsæ multæ sunt & variæ, & ali-
quæ multis dierum itineribus hinc diffitæ, sed et-
iam ex longinquis & ex transmarinis aliqui re-
gnis: diuersi loci atq; ordinis, diuersi ingenij, ani-
mis discrepantibus, vt cœlo, ex quo, siue in quo
eos hauserunt: linguæ diuersitate non modica,
vt plæriq; tamen, sed interdum perpetua, vt mu-
tuus inter eos sermo non sit, nisi in eo in quo plæ-
riq; infantes sumus, certè, nisi fallor, balbutimus
omnes, quem nemo à matre acceperit, aut quasi
cum lacte nutricis suxerit. Sed magnum tamen
& diuinum beneficium est Musarum, quæ ma-
gna cura laboreq; teneris instillant linguarum al-
teram: velint & alteram, quam à suis alumnis
fastidiri sæpè dolent: sed largiuntur tamen, quan-
tum probamus, & accipere auemus: quod de ser-
mone dico, magis de sapientia velim intelligi.
Non faciam autem plus verborum de interuallis
ordinum, quæ magna sunt in nostris auditoribus
cum non solum humilium filij, aut mediocrium
apud nos sint, sed etiam & equestri loco vario, &
nati sanguine regio: quæ res vt difficultatem re-
gendi, ita dignitatem academiæ in cœlum tollit,
vt alibi à me diligenter, & verè dictum fuit. At
quàm

quàm est academicorum ciuium ætas lubri-
ca & coërcitu difficilis? Pueri enim ad nos
non veniunt: quos quidem dum teneri sunt, edu-
cari interest maximè, sed non tanti negotij res
existimanda. Tantisper enim, dum ducuntur
& aguntur affectibus, (nec ij tamen acres sunt)
rationis quasi in vniuersum ante pubertatem va-
cui, nihil aufint sibi sumere: quibus etiam inna-
tus sit pudor. Ii igitur, vt sint petulantes, iracun-
di, delicati, desides, aut quibuscunq; vitijs minu-
tis seu puerilibus obnoxij; vel nutu, vel verbis,
vel modorata violentia, in ordinem facilè co-
guntur: si quis eam artem teneat, & necessariam
curam & diligentiam adhibeat. Adolescentes
hic video, quotquot estis, & iuuenes. Iuuentutis
varia est indoles: & alia aliorum, vt diuersa con-
ditione sunt. Multa in iuuentute bona & præ-
stabilia, & optabilia deniq; quorum & infra me-
minero. Acres sunt cupiditates iuuenum, nec
dubitant moliri, quicquid concupierint: affines
incontinentiæ ex feruentia ætatis: in eo, quod in-
stituerint, minus perseuerant: citò eos rerum ex-
petitarum fastidium capit: etsi vehementer cu-
piunt, facilè tamen sedantur: quod eorum vo-

B 2.

luntates

luntates acres sunt, & magnæ: quas propterea cum siti & fame ægrotantium sapientes comparant: proni ad iracundiam, vt qui furenter interdum concidentur: facile quoque ab hoc impetu transuersi aguntur. Nec enim se despici pati possunt, quod honori student: bona spe pleni, quod calidi: vt quos vinum calefecit etiam alius ætatis: & illi ipsi repulsæ insolentes. In spe namque eorum vita, cuius vix particulam exegere: magnam partem, si natura spectetur, habent reliquam. Dediti amicitia, studiosi sodalium: amant vehementer, & oderunt vehementer. Sed quid attinet referre omnia? Hæc vero etiam, quorum quædam auribus fortè minus grata sint, ex probrandi causa me attigisse, ne suspicetur quidem vestrū aliquis: nec suspicari potestis. Carus enim vobis semper esse volui maximè: nec cadat hoc in animū meum, qui bono & honori vestro semper admodū studuerim: sine meo cōmodo meditans quotidie, quæ ex re vestra forent. Esse difficultatem multam in talibus ingenijs moderandis ostendere volui, vt proposueram. Etiam hæc, non mea, sed naturæ decreta, ne dicam sapientum, vos audire ex vsu vestro est, vt ætatem
vestram

vestram ne nesciatis. Quo enim vos magis & in-
terius noueritis; hoc vobis & rectius & citius,
tum in vitæ tum in studiorum ratione consule-
tis. Nec nego, illa in multis vel naturâ, esse non
adeo praua, aut si qua fuerint, educatione emen-
data. Quod si hæc & bona & vniformis obtigif-
set omnibus, essent & sic omnia planiora. Sed a-
lij aliter educati estis, alij aliter in litteris eruditi.
Quæ diuersitas siue multiplex ratio, plus artis &
laboris postulat, & cum doctoribus cæteris, tum
magistratui plus negotij faceffit. Accedit, quòd
qui ex prima educatione huc accurrunt, calent
præ cæteris, tum animis, tum opinionibus, vel
persuasione doctrinæ: instar musti, quod in vtres
conditum feruet maximè: ac tum custodi cellæ
incumbit cura, ne scindantur vtres, & effundatur
liquor dulcissimus. Pauca dixi, quibus huius mu-
neris difficultatem & dignitatem indicarem. Ad
eas vero ita multas, accedit censuræ periculum.
Vt enim semper vigiles, cogites, inuenias, agas,
perficias; non est quod speres, te probaturum o-
mnibus omnia: quòd rectè iudicare, alij per im-
peritiam nequeunt, alij per malitiam nolunt, alij
si minimum erratum fuerit, non areo pagitis seue-

riores, sed scycophantis sunt nequiores. Est & gesti muneris grauis reddenda ratio: nec tantum hæc legitima, quam bonus vir facilem iudicat, & subire, quàm declinare malit, sed quoquò te gentium verteris, & narrabitur, & interrogabitur, quomodo qui huius nauis clauum torqueret, eam, cælo tùm sereno tùm turbido, mari tùm tranquillo, tùm tempestuoso, vento tùm secundo, tùm aduerso, tùm velis patentibus, tùm remigio, gubernauerit: quod ibi casu euenerit, quodq; peccarit alius, vel peccare visus fuerit, id omne in eum, vt auctorem vel approbatorem, sæpè referri solet. Habet igitur præter curam, præ qua ei somnum capere vix licet, & præter dolorem, quem capit ex suorum incommodo, vel aberratione minima, pro præmio calumniam & infamiam. Verum magno solatio est, quòd infamia falsa erit, & calumnia semper optimo cuiq; detestabilis. Profecto enim verum est, quod in noua comœdia recitatum Athenis fuit.

*Quicumq; dat statim calumnia locum,
Aut ipse nequam pessimis est moribus,
Aut mente cassus, non nisi puer merus.*

Iudicio autem improbitatis & inscitiae, viri boni &

ni & fortes stare neq; volent, neq; debebunt. Iudicare sinemus viros graues, negotium cognoscere, quod rectum fuerit commendare, errorem reprehendere, lapsui ignoscere, peccatum emendare deniq;. Graues enim viri, nec audiunt quidem calumniam, ne dum dicant, vt est apud Thucydidem. Censuræ igitur alicuius peruersæ metu, animum non deiiciam, sed agam, quæ erunt officij, & ex dignitate & vtilitate publica. Ante omnia id enitar, vt quas difficultates recensui, & esse vos quoq; magnas intelligitis, vigilando & consulendo amoliar: quæ vel prima pars est mei officij, vel primus ad ipsum aditus. Audiui & credo, eadem esse difficillima & facillima, si aliò atq; aliò respicias: vt plurimum, quæ primo intuitu, vel primùm experiundo sint difficillima, fieri facillima. Etiam magnus ille artis medicæ post Hippocratem princeps, cum bonis rationibus & longa oratione ostendisset, nihil esse difficilius, quàm semetipsum nosse; ex aliquo intervallo, non recantauit ille quidem, sed tamen asseueravit alia ratione, etsi non vnicuiq;, nihil eo ipso esse facilius. Qui enim iam in media actione virtutis versantur, cum omnia deuia nouerint,

rent, se obseruant facillimè, ne in altas solitudi-
nes, in aspera senticeta, in loca palustria, in syr-
tum voraginem incurrant. Quò spectat & id quod
pueri didicistis ex vetere poëta, qui vitam rusti-
cam, hoc est simplicem & veram, docere nos in-
stituerat. Id agens, viam ad virtutem, consilio
deùm sudoribus septam ait vndiq;: semitam esse
arduam & asperam, sed non nisi initio:

Est facilis deinceps, fuerit licet ardua dudum.

Dixi & ipse, & verè dixi, graue esse munus recto-
ris academici: nec quempiam omnium dubitare
arbitror, etiamsi periculum ipse non fecerit: qui
fecere periculum, omnes asserunt. Dicam mo-
do alterum, quod priori sententiæ aduersari vi-
deatur, nec aduersatur tamen. Aio enim, eam
difficultatem frangi posse, & vsq; adeo difficilia
ratione fieri facilia. Nec mihi tamen quidquam
hac in re arrogo: quin tantam in me vim pruden-
tiæ & industriæ non esse, libenter fateor: cum e-
tiam sapientissimum quemq; suo consilio mini-
mè niti intellexerim, ego meo nunquam velim.
Neq; tamen nihil me præstaturum confido, si
quotquot estis, me bona fide iuueritis. Non mi-
nus etiam iuuentutem hoc verbo compello.

Namq;

Namq; ad collegas idem pertinere, nemo dubitat. Antè vero quàm vtrumq; planius explico: primum ad facilitatem eiusmodi aliquid videre mihi videor. Qui abeunti à magistratu succedit, cuiusmodi prouinciam a deat, animo considerare necesse habet, turbatamné, an mediocrem, florentemue accipiat. Vbi aut nihil constitutum est, aut rerum misera conditio, ibi diuina quadam sapientia opus esse iudico, non mediocri ingenio, quale fortasse meum est. Quare multum causæ habeo, cur Deo gratias agam, & laudem antecessorem meum, qui tradit mihi academiam, & tranquillam, & ita benè constitutam, vt si à perfectione absit longius, tamen plærisq; inferior nullo modo videri possit: certare etiam cum aliquibus, quæ florere iudicentur. Cum eius vero laudibus & vestræ omnium siue maximæ partis vestrum coniunctæ sunt, quod collegæ & consilio, & præsidio, & exemplo academix non defueritis: iuuenes officium faciendo, siue vtroq;, & rectæ vitæ, & veræ doctrinæ studio, eandem sedulo ornaueritis. Ego verò magnificè de me nihil habeo polliceri, quemadmodum, quæ mihi sparta modo traditur,

C

ditur,

ditur, eam meliorem & beatiorem efficiam:
quod sanè me dignum foret, sed supra vires me-
as esse fateor. In alterum omnes neruos ingenij
intendam, vt me præside dignitati & felicitati
præsens status nihil decedat, si quid ego, &
quousq; ipse præstare potero. Hoc enim multò
facilius est, etsi iudicatum ab alijs quoq; difficile:
quin à nonnullis æquè difficile: qui aiunt custo-
diam diuitiarum eiusdem tantæque virtutis esse,
cuius quantæque fuerit illarum comparatio.
Quin eiusdem sit, non nego: tantæ esse, non ex-
istimo. Itaq; qui in altero me nihil valiturum
sentiam, in hoc aliquid præstaturum, et quidem,
quantum à me requiritur, non prorsus diffido:
verum si, vti paullo ante à me dictum fuit, vos
me itidem iuueritis. Etsi porro ex ijs, quæ supe-
rius attigi, quo eam, & quid velim, animaduerti
à quiuis vestrum facile existimo: tamen ne quid
obscuritatis relinquatur, conuertam me, hac o-
rationis parte, ad lectissimum hunc virtutis et sa-
pientiæ, nobis ducibus, summo imperatori mi-
litantem, exercitum. De vobis vt rectè sperem,
confirmant me omnia, quæ diligenter animad-
uertit, & apud animum modo repeto. Non enim
à paucis

à paucis mensibus, quod in plerisque; magnopere reprehendendum esset, deprehendi. Nam qui hoc exspectat, ut semper omnia rectè gerantur ab omnibus; nã ille nihil humanæ vitæ rationum intelligit, neque se ipse nouit, quando in se nihil desiderat, in quo fortè nemo non iure culpet aliquid. Diximus autem de iuuenum indole, in qua cum essent aliqua graua, non sunt etiam nulla grata, & valdè amplectenda & fouenda singulari diligentia. Bonum hoc, quòd iuentus amicitia studiosa, quòd sodalium: quòd ad benefaciendum prona, quòd honestè ambitiosa, quòd ad summa contendit, & vinci turpe putat: quòd cum laude simplex et integra: quòd omnem fraudem, ut pestem vitæ, detestatur: quòd fidem sanctè colit: quòd animo acris: quòd manu prompta, quòd non otiosa, sed agendi cupida, quòd pudorem non exuit, quòd senes honestos, quòd prudentes, quòd cum dignitate viros, quòd beneuolos, quòd bene meritos, & obseruat & reueretur. Hæc & huius generis bona, quæ in vobis natura esse & agnosco & prædico, in alijs illustriora sunt, quàm in alijs. Ea si vtraque, ut dicitur, manu tenebitis, & ampli-

ficare conuitemini: primū vosmet ipsi beaueritis, deinde me, dum hoc munus gero, mirificè, & prorsus vti par est, adiuueritis. Nec tamen vos ignorare oportet, tempore præmittenda, quæ ratione priora sunt. Vt tinctorum è lana maculas omnes eluunt antè, vt purpuram probè inficiant: sic in prima pueritia fingenda educatoribus nauiter laborandum est, vt quod prauum, aut innatum sit, aut adsuæfactione quæsitum, stirpitus euellant, vt sacræ sementi virtutū in animo locus sit. Vos vero ad eundem modum vobismetipsis magistros esse, educatoresq; velim in vobis ipsis perficiendis siue ornandis. Perfecti enim tum dici poteritis, vbi animum moresque vestros perpolieritis. Spectabimus enim in hac censura, & ætatem vestram, et conditionem hominum. Hæc enim absoluti nihil habet, nec admittit: illa probitate & conatu satisfacit. Illa igitur priora si ad vitium inclinent, ex animis vestris abolebitis: si sint mediæ sortis, moderatione & ratione ad virtutem dirigetis. In quo cui si quid desit, siue annis siue imbecillitate ingenij; & auditis quotidie, qui vos moneant, & in manibus habetis, è quibus cuiq; accipere licet

cet

cet præcepta sapientiæ. Non igitur etiam valde referre arbitror, quòd ex alio atque alio orbe aduenistis, nec vno eodemq; modo, quod quidem satius erat, si ille verus sit, educati. Nam quæuis educatio instituta à bonis patribus, habet aliquid boni: hic discite, in vestra quisque quid prauifuerit: ipsi vos corrigite, sicubi in errorem inductos aut neglectos animaduertitis: deniq; sic putate, neminem etiam nostrum esse, cui de prima ad virtutem, & ad litteras via querendi causæ nihil sit. Si qui ferociores erunt primo aditu; ij aut intuentes modestiam vestram, aut se à bonis rideri non ferentes, erubescant & meliores erunt: si qua tamen in ijs emendationis vlla spes, quæ si non sit, statim eos poenitebit vitæ academicæ. Quæ cum considerarem, & fieri viderim, atq; etiamnum videam, & futura sperem, nihil est, quod sana iudicia & præsentium & longinquorum extimescam. Sed non committam, vt hæc altera cogitatio de cursu institutæ orationis magis necessario me abducatur. Auditum sæpe est, quia inculcatur quotidie, tres actionum fontes esse in anima nostra, iram, cupiditatem & rationem: tum eas bene

administrari, si duabus illis tertia imperet. Quare & cum iugo equorum priores confert Plato, principem cum auriga: sed non paullo significantius cupiditatem cum bellua plurium capitum, iram cum leone, rationem cum homine ille idem sapiens comparat. Imo hac ipsa homo est, siue hac imperium in tam perpusilla hominis machina tenente, demum homo quisq; est. Dignum autem cum cæteris hominibus, tum nobis maximè existimemus, vt sicut appellamur à nobis inter nos, homines etiam simus. In hoc si connitemini, viceritis: vnde triumphus est omnium gloriosissimus. Sed cum ea natura simus mortales, vt nemo sit, in cuius animo non aliquod inter eas, quas dixi, facultates oboriatur interdum discidium; facilius fit, vt in arctissima quoque paucorum hominum, quamuis bonorum, consuetudine, animi ex aliqua causa, aliquando vix probabili, discrepent. Vtrobique autem simile putem remedium. Vt redeant affectus cum ratione in gratiam, & huius se legitimæ potestati subijciant: hæc vero et illorum impetum perpetua cura frangat, aut si qua tyrannis, vel fraude, vel vi regnum illud inuadat, specie quadam

quadam rationis, eam fortiter adoriatur, & tollat è medio, aut longè gentium abigat. Ita dissensio orta inter bonos, statim agnita, deletur: nec ipsi sinunt commotiunculam in simultatem, odia, & inimicitias, hoc est in mutuam perniciem crescere. Quod si vobis curæ erit, vt ius sodalitij & huius sacri commercij musici nulla re violetis, nihil rectius, neq; sanctius: sin, quod absit, aliquid sinistri eueniat; aut ipsi gratiam inter vos sarciat, aut æqualium alicui negotium demandetis: cogitantes, quanto dedecori lis sit in vniuersum nostro ordini, & quàm turpe grauare malis negotijs eos, quos molestia leuare, & reuerenter colere oporteat. Nec obstat, etiamsi ius dicere ad magistratum pertineat: nec tamen hanc dignitatem perpetuam præturam existimo: imo causas cognoscere, vt molestissimum sit, si non in minimis, in potissimis tamen haud numero. Namq; grauius est, & perpetuum, incommoda auertere vel minuere, commoda verò comparare vel conseruare. Ex hisce autem paucis verbis vos quoq; intelligitis, collegæ clarissimi, quam opem à vobis expetam: nec igitur hac de re vberius ad vos. Nam quæ vestræ partes sint,

res sint in docendo æquè scitis, vt ego: quæ in
gubernatione academica, etiam me melius.
Sunt autem hæ non minus vestræ, quam meæ,
cuius habentur ab alijs, qui hanc formam non
intelligunt. Nihil enim decernitur absq; senatu
in aliqua re graui: etiam de me decreuistis, vt
hunc honorem certo legitimoq; tempore gere-
rem: quæ est non alia quàm in magnis ciuitati-
bus optimatum ratio. Ibi enim vel vnus vel pau-
ci, vt primatibus visum fuerit, rem pub. repræ-
sentant. Cum igitur personam, vestra volunta-
te & imperio, vestram sustineam; meum erit,
totis viribus in id incumbere, vt eam, non vt in
comœdia, vbi artis laudem reportat à spectato-
ribus histrio, sed in certo genere iuuenum, qui
non temerè vndecunq; in vnum locum conflu-
xerunt, sed consilio vel suo vel prudentum, ad
doctrinam virtutemq; adipiscendam, suæ reiq;
publicæ salutis gratia conuenerunt, ita vt me
vobisq; dignum est, geram: vestrum autem, vt
mihi consilio, opera, auctoritate præsto sitis. Fo-
re enim mihi opus consilio sæpè, opera inter-
dum, auctoritate perpetua vestra, intelligo.
Quæ si mihi præstabitis, non video, quid vos
præterea

præterea flagitem, nisi, vt, quod eodem pertinet,
cum exemplo præiuerimus iuuentuti, quisq; su-
os familiares suæq; disciplinæ alumnos ab erro-
re, quod in nobis sit, prohibeamus: in vera vir-
tutis doctrinæq; via ducamus & confirmemus.
Ex pluribus igitur, quæ in mentem venerunt,
hæc potissimum hoc loco dicere mihi visum fu-
it. Iam verò quando ad finem ventum est, quod
alius faciat, ipse mihi obijcio notum illud: am-
phora cœpit Institui, currente rota cur vrceus
exit? Vix enim aliquid muneris huius amplissi-
mi in hac oratione vestigium apparere quis ex-
istimet: quem quibus verbis aut refutem, aut do-
ceam, in promptu non habeo. In hoc tamen o-
mnes mihi assensuros arbitror: officium rectoris
academici diuinitus expletum, si ipse sedulò vi-
derit, & dextrè perfecerit, suo loco vt quisq; offi-
cium faciat. Imitemur igitur bonum agricolam,
qui bona cum spe in re rustica nihil negligit, &
cuiq; suas partes sedulo demandat in familia: ac
salutem à prima ipsaq; salute, & maiestate
moderatrice omnium, petamus
& exspectemus.

F I N I S.

D

LE.

ἱσοβίην . . . L E C T O R I ἱσοβίη . . .

Dicat aliquis: προγραμμάτων, ὡς δρυὸς ἄλις: nec parum causse videatur, cur non eius solum, sed omnis generis scripta fastidiantur, hoc præsertim sæculo, quando neq; quemquam pudet sordidas nugas chartis illinere, & ad solem, quasi Apellis tabulas proponere spectandas populo, et scriptores ipso numero lectores non æquant, sed facile superant. Mihi tamen visum fuit, siue eodem morbo siue meliore iudicio, tum hæc, tum alia de meis lucubratiunculis edere. Qualia autem cumq; sunt, neq; ea negligenter scribo: etsi neq; diligentia id totum assequor, quod volo: tamen hoc polliceri habeo, ex meis neminem abiturum deteriolem. Namq; ab omni maledicentia abhorreo, à friuolis abstineo, pravas opiniones non solum auersor, sed refuto, quantum queo. Orationem in hoc genere nec magnificam, nec splendidam esse oportere iudico: ne inquinata sit, & propria, & perspicua, operam do, & hoc, quod, siue per se, siue mihi magnum, ut plurimum assequor: nec solum hoc meum est de meis iudicium, quo fortassè mihi blandiri viderer, ut sunt hominum ingenia,

ingenia, sed idem amici existimant, viri docti
ac disertissimi, quos scio mihi minimè assentari: er-
rare tamen videri possunt benevolentia. Ve-
rum si quis hæc intelligentium legat, si con-
sideret; eius iudicium valeat: de quo
ipsi vel cognoscant cum fructu
suo, vel repudient absque
contumelia cæ-
teri.



PRORECTOR ACADE-
MIAE IULIAE

IOANNES CASELIUS S.

MVneris mihi his diebus demandati, siue
pars aliqua est, siue appendix, cura beneficia-
riorum principis: non eorum solùm, quos sibi
alumnos ille delegit, sed etiam aliorum, qui
mensæ communis beneficio cum illis fruuntur. Eam ego
curam necessariam esse cum primis arbitratus, meditari
coepi, quemadmodum in ea me ita geram, vt & magnifi-
centia illustretur, & ijs potissimum consulatur,
quibus ille iubet consuli. Visum autem mihi fuit, tum
petentium gratia, tum mea, rationes meas publicè pro-
ponere.

ponere. Sic enim molestiam mihi minuerō, ni fallor;
nec minus tamen officium fecero. Intelligent verò bene-
ficij petitores: qui, quando quid sperent, qui nihil spe-
rent: nec hi frustra mihi molesti erunt: nec illi me inter-
pellabunt, sed in tempore, commodoq; suo conuenient.
Leges enim & voluntatem fundatoris religiosè sequar: à
quibus discedere nefas est: nec aliquis absq; scelere id fa-
cere videatur. Quòd si definitum scripto nihil esset, ta-
men, quo ille respexerit, non difficile sit videre intelli-
genti & bono viro. Quis enim omnium possit dubitare,
quin voluerit præ omnibus consultum suis ciuibus, dein-
de hospitibus, & vtrorumq; tenuitatem per liberaliter
subleuare, si iidem probi & in vniuersum digni censerentur?
Videbimus igitur (etenim neque hic aliquid agam,
sine sententia & voluntate collegarum) ne lautiores
commodum egentibus præripiant: id quod non vno mo-
do iniquum foret. Ipsi quoq; sic cogitate: qui hoc cupi-
at; & quod suum non sit, postulet, & in alterum non leui-
ter iniurius sit. Nec quisquam vestrum adeo iniustus vi-
deri velle debeat, nedum esse cupiat. Rectius est etiam;
& beatius, paruo esse contentum, & frugaliter vitam in-
stituire: quanto ea ratio vitæ studiosæ est accommodati-
or. Nihil enim ita doctrinæ & virtuti aduersatur, vt lu-
xus: nihil magis illas prouehit & conseruat, quam quæ
Græcis *σωφροσύνη* dicitur, & Latinè vno verbo disertè satis
explicari non potest. Quare si qui deserti vel à fortuna,
vel à vestris eritis, mediocris ingenij, alicuius profectus,
probi & modesti, discendi cupidi, instituti tenaces, liben-
ter vos audiam: neq; vnum ex omnibus negligam, quan-
tum in me erit: iuuabo sine dubio quotquot poterō, ve-
rùm ijs conditionibus, quas dixi, & minimè violandas
iudico, eoq; ordine, quem indicaui & legitimum esse in-
telligi-

telligitis. Sic nullum cuiquam iustæ querelæ locum futu-
rum, & vobis neq; inuidendi inter vos, neq; mihi suc-
censendi causam orituram spero. Audiam autem in hoc
negotio primùm perendiè, & deinceps diebus pro domi-
nicis, horis matutinis: id quod, quorum interesset, scire
volui. Si quid tamen cui valdè erit necessarium, nihil
prohibet, quo minus me adeat quocunq; tempore. Non
enim laborem fugio, qui noctes diesq; pro utilitate vestra
excubare debeam, neq; quidquam habeam antiquius: sed
ordinem instituo, non nihil quidem molestiæ leuandæ,
sed potius tamen rei rectius gerendæ gratia. Sic facien-
dum sapientes censent, & prudentes exemplo nobis præ-
eunt. Valete. P. P. XVI. Kal. Decemb, cl. cl. XCII.

ΠΡΟΓΡΑΜΜΑ secundum.

Quotidiè id egi tot annos, expletis etiam demandatis
mihi docendi partibus, qua fide par esset, & quanta
possem diligentia, vt ea meditarer, quærerem, inuenirem,
depromerem, quæ ex vsu iuuentutis esse arbitrarer. Ho-
die verò, dum publicum munus gero, imitans eos, qui in
pùppi sedent ad gubernaculum, semper de vobis, vestraq;
salute sollicitus sum, etiam dum cibum sumo, dum so-
mnium capio: quæ tempora curis vacua esse iubent, qui
corporis nostri rationem optimè intelligunt, & de tuen-
da valetudine nos seriò & sapienter monent: quos & ipse
mihi audiendos putarem, nisi omnia vestris commodis
postponerem. Ex hoc animo profluxit, vt quæ initiò mo-
nenda essent, statim monuerim, proximè edixerim,
quæ edicenda fuerint, non solùm de meo consilio, quod
probi non aspernabuntur, sed etiam de senatus academici.

D 3

senten-

sententiã, quæ valere apud vos debet plurimum. Quæ
verò mandauimus, ea cum semper vos velim meminisse,
tum his diebus sacris potissimum; ne imitemini vulgus,
quod dies festos miserè ponit, & in vniuersum ferè pro-
phanat. Putant enim, si opus non faciant, & labores quo-
tidianos non obeant, iam sibi dies festos esse: qui hone-
stiores sunt, partim consuetudine, partim inani supersti-
tione, vno die, aliquandò & altero, ædem sacram adeunt,
cærimonias colunt, doctores audiunt: nec eorum ani-
mus tamen in cœlo est, aut in rebus diuinis, sed in vino &
conuiuio: immò nunc non bibunt vinum, sed hauriunt:
nunc epulantur, incogitantes rerum humarum, vt de cœ-
lestibus non dicam. An enim diuina cogitet, qui manci-
pium est corporis? Nolite existimare, me de longinquis
aut alijs loqui potius, & hæc ad nos nihil pertinere. Si
idem agimus, ipsi quoq; vulgus sumus, è quo vt nos exci-
peremus, in litteris esse voluimus. Sapientia enim & vir-
tus plebis non sunt, quarum gratia colimus cœtus acade-
micos. Verùm hoc vberius non explicabo: qua gratia
hæc capi scribere, id porrò agam: ne in Bacchi orgia ver-
tamus natalem seruatoris, sed sobriè nos geramus: nec
luxu prophanemus hos sacros dies, arbitrati, quod res est,
in luxu esse, non pietati solùm & cultui numinis, sed vir-
tuti & honesto omnia contraria. Ex eo sunt affectus, o-
mnisq; animi perturbationum exercitus: in quibus quicquid
est, sani nihil, nec cogitat, nec habet: nec mirum, si in ce-
lum impetum facit, & atrox, nec vnius generis calamitas.
Hoc seculo pietas est in verbis & in contentionibus: olim
erat in animo & in moribus. Hoc iuebant prisca theo-
logi, cum aliàs, tum quoties dies festi agendi erant. Na-
zianzenus in his ipsis theophanijs, *εορταζωμεν* inquit, *μη*
πανηγυρικῶς, ἀλλὰ θεϊκῶς, μη κοσμικῶς, ἀλλὰ ὑπερηφανίως. Hæc
diui-

diuinitus dicta interpretatu haud sunt facilia. Iubet nos
dies festos agere, non pompa quadam comitali, in qua ad
splendorem referantur omnia, sed alio modo, qui Deo
probetur, & plusquam hominis sit: nec, vt mundus, id est,
siue superstitiosi, qui vel deos ipsi fabricantur, vel cultus
ex opinione sua fingunt, siue prophani, qui se tum maxi-
mè in voluptates demergunt, sed vera cum elegantia & ani-
mi puritate. Namq; id declarat ex interuallo his verbis:
καὶ μοι καθήρεθε τὴν ὄψιν, καὶ ἀκοὴν, καὶ Δείνοιαν: vt mente purga-
ta, purgatis item auribus, & tali cogitatione oracula coe-
lestia accipiamus. Existimemus enim, & sic paratis conue-
nire & necessarium esse, vt tēpla frequentemus ipsi. Nam
præter ea, quæ didicimus, discemus alia, aut, si nos satis
scire putabimus, in ijs nos confirmabimus: in communi
periculo communia vota ad diuinam maiestatem faciemus:
deniq; exemplo nostro, siue ætate, siue conditione mino-
ribus prælucebimus, tum in illo cœtu, tum in omni vita.
In templo nos sæpè, in ecclesia semper esse oportet, si ser-
uari, & beneficiorum cœlestium participes fieri velimus.
Agendum fuit de hoc argumento potissimum: alterum e-
tiam, quod minus est, & bonis perfacile, vos moneo. So-
lemne est, vt hoc tempore ministrorum euangelij, qui
perpetuam animarum nostrarum curam agunt, ratione a-
liqua habita, quisq; in eos aliquid beneficii libenter con-
ferat: quod vos negligere non decet, siue id munus ad a-
ram feretis, siue illis dabitis, quibus ea collectio de-
mandata fuerit. Esse autem vos decet eò prom-
ptiores & munificentiores, quò ipsi sunt er-
ga vnumquemq; humaniores, & officii
sui obseruantiores. Valete. P. P.

Die natali Seruatoris
clō. Io. xciii

ΠΡΟ-

Quod hoc loco primum dicam de academia, id vnus-
 quisq; vestrum iam per se intelligit, toties à nobis
 inculcatum, & præterea sedulo copioseq; explicatum: a-
 cademiam esse debere, non solum officinam omnium bo-
 narum artium, sed multò magis domum modestiæ & tem-
 perantiæ. Hoc ego subtilius & sublimius possum dicere,
 sed ad captum plurium fortè obscurius, si veritatis officinam
 appellem, & sacrarium sanctimoniæ. Etsi autem,
 vtro verbo vtamur, eodem res redit: mihi tamen nunc li-
 bet cum iuuentute loqui: cuius saluti omni studio consu-
 limus, vt omninò debemus, nisi partes muneris nostri tur-
 piter & improbè prodamus. Prius igitur fatebimini, o-
 mnes vos aduenisse litterarum gratia: id est, desiderio ve-
 ræ bonæque doctrinæ, nec aliud præ vobis feretis, quàm
 vos eas diligenter colere, si fortè vel parentibus, vel gra-
 ui alicui viro, ratio vitæ exponenda sit: alterum verò stu-
 dium, quod dixi, modestiæ & temperantiæ, omnem vir-
 tutem intelligens, se negligere nemo dicet. Qua fronte
 enim? cum ex ijs, qui litteras non attigere, nemo sit, qui
 alium se, quàm temperantem, fortem, iustum, prudentem
 deniq; haberi velit: & si quis quærat etiam ex ambitioso,
 aut auaro, aut luxu perditio, se tamè illis virtutibus studere
 dicat: & ipse Therfites erubescat, se profiteri maledicum,
 seditiosum, improbum, etiamsi in senatum & in regem
 insurgat, prorsus in perniciem vniuersi Græci exercitus.
 Verùm quid illi, tum de media plebe, tum honoratiores,
 sed à litteris alieni, quid dicant, quid faciant, nihil ad nos
 attinet: videmus sanè paucos ex eo numero dignitatem
 virtutis ciuilis intelligere, & vt aliqua dicant, alucinari
 in plerisq;, vt crebrò eos aberrare in actionibus & consi-
 lijs non

lijs non sit mirum. Maneat in populo inscitia, sit in vulgo
vibræ virtutis ostentatio: qui in litteris sumus, vmbri-
relictis, ad res propius accedere debemus. Aio & ipse, co-
gnoscenda nobis esse præcepta vitæ, quæ à sapientibus
tradita sunt: nec leuiter degustanda, & penitus hauri-
enda: non solum, vt noueritis decus virtutis, & quæ sint
cuique virtutum propria, & quæ ijs quo modo aduersen-
tur, sed etiam, quemadmodum ex hortis animi spinas,
& quidquid est ibi herbarum noxiarum euellatur in tem-
pore, & antè, quàm aut radices in profundo agant, aut
omnem fundum occupent. Id genus homines docti
affectus vocant, quæ sunt multiplices animi brutæ con-
citationes, rectæ rationi repugnantes, cuius tamen au-
toritatem si aspernentur, exitium cuiq; adferunt: alte-
rius generis sunt prauæ opiniones, quæ sibi habitum ra-
tionis sumunt, & falsa quædam rationis persona dici pos-
sunt. Quæ mala esse, scire, & in grauib; & sæpè exitiosis
animi morbis habere, magnum est: singula nouisse maius:
nec verò paullo maius, in se nouisse & animaduertere.
Nec iniuria difficilius esse existimatur, ob eum amorem,
quo quisq; sese nimis amat, quiq; amantes prorsus occæ-
care dicitur. Longè tamen maximum, in quo videlicet
palma, illos ipsos affectos siue eruere, siue rationis impe-
rio subijcere. Hæc enim videre & scire, parum ad rem:
in quibus laborem sumere, & eniti, quantum quisq; po-
test, oportet. Nec enim eius disciplinæ finis est, vt sci-
entia simus auctiores, sed animo meliores & officio præ-
stantiores. Namque hoc alterum, propiusq; ad perfe-
ctionem ducit, vbi prius ab erroribus, & quibus dixi,
morbis, nos non nihil vindicauerimus. Vt enim in v-
niuersum vindicemus, si potissimam hominum multitudi-
nem considero, fieri non posse statuo: fortè dijs geniti
E potue-

potuere, vt ait poeta. Hæc mihi modò visum fuit, non à primo principio, sed paullo tamen altius repetere, quibus quotidie opus est: sed considerare vos potissimum iubeo his diebus, quos diuturna & multarum gentium consuetudo praua nobis è manibus vi sua extorquet. Sunt certi dies festi, quos legum latores sanxerunt, quibus iubemur omnes diuinis rebus vacare: vulgus tùm ferias à labore agit, plæriq; mero otio non contenti, sacrum tempus in luxum & voluptates transferunt, vt ea de causa de legitimis festis, si dies aliquot non demendos, at eos certè terminandos *à vob. In G. A. C.* periti rerum censeant: quæ nec per se iusta est, & acerba multis accidit. Sed irruunt quotannis alij dies otiosi magno impetu, siue consuetudinis violentia, quam compescere, & hæc Dionysia tollere, vulgo non obstrepente, ne summa quidem maiestas posse videatur: cæteri magistratus frustra omnino laborant, & si fortè è conspectu eas nugas remouent, ex animis & desiderijs populi non eximunt. Quid tamen minus ad nos, vel potius quid à Christianis institutis alienius? Quod autem leges in multitudine non valeant; quòd ea exemplis, non luce mentis, ducitur; id à nobis impetret ratio: vt his diebus nihil committatis aduersus leges modestiæ, & si hilaritati, abrepti moribus, aliquid tribuatis, sic ei locum detis, vt temperantiam ne extrusisse videamini, habita ratione & vestræ utilitatis, & dignitatis publicæ. Hoc magis nobis ideò curæ est, quòd passim gentium censores sunt, potissimum academiæ Iuliæ, cæterarum nouissimæ. Et benè facere & benè audire cupimus: atq; eniti omni ratione, vt sapientiæ & magnificentiæ fundatoris & conseruatoris adiumento ornamentoq; simus, debere nos intelligimus, idq; omni studio laboreq; contendimus. Speramus equidem vos porrò in officio fu-

cio futuros, vt in hunc diem studiosè à vobis factum fuit: tamen si quis petulantior septa modestiæ his diebus per- rumperet, ne id nobis conuiuentibus fieri putaretur, hoc edictum, siue paternam potius cohortationem publicè proponendam iudicauimus. Valete. V. K. Martij. cl. l. b. xciii.

ΠΡΟΓΡΑΜΜΑ quartum.

SI in calamitate querelas pangere, & lacrymas profun- dere, vel nobis dignum esse iudicarem, vel vtraque ra- tione vtiliter aliquid geri posset; nec ipse lacrymas mo- do sisterem, & plures paginas complerem querelis. In v- troq; igitur moderatè me geram, idemq; censeo alij faci- ant, ne nos obiurgatione eiusmodi adoriatur seruulus è comœdia:

Here, si querelis, eiulatu, fletibus,

Medicina fieret miseris mortalium,

Auro paranda lacrumæ contra forent:

Nunc hæc ad minuenda mala non magis valent,

Quam naniã præfica ad excitandos mortuos.

Res turbida consilium, non fletum expetunt:

etsi hic locus non iam consilium, sed consolationem flagi- tat: nisi dicamus, & in consolatione esse nonnullam vim consilij. Neq; tamen inficiari possum, & fortè neque id dissimulare debeo, me tam inopinato & miserabili casu grauiter affici. Doleo equidem ex animo, tum alijs de causis pluribus, quas explicare pauculis verbis haud que- am, tum quod ille tempus huius magistratus, quem gero, tantoperè contaminauit: contra quam semper anxie o- ptaram, & initio à Deo precatus fueram. Auget verò me- um dolorem dolor eorum omnium, ad quos luctus ille

quoquo modo pertinet. Non possum enim non ijs con-
dolere: tum parentibus & consanguineis adolescentuli,
tum infelici, a quo imperitus malum profectum existi-
met. Utinam medicinam in promptu habeant, aut facile,
siue in tempore, & antequam aliud malum erumpat, inue-
niant, qua quisque in animo suo tanti doloris fluctus se-
det, ne ægritudo rationem de statu dei jciat, vel nouam
miseriarum segetem creet. Etsi porro rationes, quæ plu-
res & bonæ sunt, mei instituti non est, ostendere, adeoq;
eas quemq; petere, tum a se, tum a sapientibus, iubeo: ta-
men non possum, quin vnius & fortè primæ omnium men-
tionem faciam. Etsi enim euentus supra modum tristis
est, quod recuperari hic nihil potest: tamen si recta fuisse
consilia, nec in minimo erratum, constabit, & hoc iugen-
tium alius ex alio intelliget; alius sese citius, alius colli-
get tardius, nec aliquis, vti spero, succumbet dolori. Ve-
lim autem, & expediat, ex animis hominum deletam opi-
nionem, qua in iudicio de rebus faciendo ad exitum poti-
us, quàm ad consilia respiciunt: cum contra faciendum
fit, æstimandaq; consilia, ferenda cætera. Nullius enim sa-
pientiæ sunt exclamationes: Utinam ne in nemore Pelio.
Hic vero necesse habeo ordiri altius: nec tamen nisi bre-
uiter perstringam singula. Ut maiorum ætate renatis, siue
primum natis in Germania litteris humanioribus; multi
se ad eas colendas contulerint, hanc rem notam celebrare
multis non attinet: nec solum de cæteris, sed etiam ex e-
questri ordine, vt non dicam de ducum regumq; filijs. Nec
fuit ferè iam ab altero sæculo natio, quæ diligentius id e-
gerit, quàm in ora littoris Baltici Pomeranica: siue quan-
tum boni esset in studio sapietiæ statim animaduenterunt,
siue eos mouerunt exempla principum, quæ in omnem
partem multum valent, siue præmia excitarunt, quod ho-
nores

nones primos non nisi doctrina eruditi gererent. Deniq;
vicinus à vicino, bonus à bono didicit, hoc rectum esse,
hoc faciendum: nec illic est familia nobilis, in qua non
floreant, vnus atq; alter ex virtute & litteris: nec facile re-
perias patrem, quin filios aut filiorum aliquē Musis con-
secret: cum omnes existiment, & rectè sanè: hoc ad rectam
perfectamq; educationem facere plurimùm. Minimum i-
gitur experitur quisq;, quid filius ea in re possit. Id imi-
tatus vir ad primè nobilis Eobaldus Blancoburgius, filio-
lum Anselmum & domi, & in vicino oppido in litteris e-
ducari iussit: atq; ibi ex profectu ingenium statim enituit.
Eum cum suscepisset ex Margarita Parsouia, cuius duo
fratres, viri nobiles, Nicolaus & Thessenus, ipsi virtute
& doctrina ornatissimi, quod etiam maior multos iam an-
nos gerit negotia principum, & reipublicæ, confirmarunt
sororis maritū in sententia: Thessenus vero Parsouius &
ipse non plebeis litteris eruditus, & vir grauis & prudens,
in ac. Iuliamiturus affini permisit, vt filiam secum mitte-
ret, se eum vnicè curæ habiturum sororis filiū: quod con-
cessit pater, de indole filij summa omnia, neq; sine causa
sperans: nec aliter erga ipsum fuit affectus auunculus, &
quod promisit, religiosè præstitit. Vt aduenerunt, huma-
nissimus iuuenis puero pædagogū addidit: ipse tamē pue-
ri animum & mores obseruauit sedulò & auctoritate salu-
bribusq; præceptis informauit: nec in pædagogo quidq;
desideratum fuit, de cuius modestia, doctrina & in alumno
docendo diligentia verè testari possumus. Ipse autem puer
indole erat generosa, animo magno, nec tamē sine pudore,
eo profectu, quē in adolescentulo requireres: se proficere
& intelligebat & gaudebat, in moribus & consuetudine
suauis: nec tacere sēper, quòd puer, nec loqui omnia, quòd
ad ephebos transfiret: & iam iocos accipere à sodalibus,

& non in scitè statim etiam referre. Hæc non ex alijs accepta, sed visa refero. Frequentabat enim ille ædes meas, visum populares, qui domi meæ sunt, & æquales cæteros, & in iis filios meos. Nec solum adolescentulum aliud agens humaniter monui, de quibus videretur, sed etiam mihi persuaseram, si porro ita educaretur, vti captum fuerat, & id spacium, in quo erat, ita percurrisset, futurum magnum virum in patria, & eximium imperij ciuem. Nec augebit hæc commemoratio sapienti patri dolorem, sed minuet, cum cogitabit, in officio vitæ finem facere nequaquam miserum censi: quin ab initio creditum fuit, nec id aliter se habet, cum, qui in acie pro patria occumberet, beatè mori: & hoc heroës maluerunt, quàm seruitutem seruire victi. Non est adeò dissimile, à cursu studij virtutis & sapientiæ non deflexisse, sed in eo, etsi miserabiliter, collapsum expirare: non nego id misericordia dignum, sed idem dignum prædicatione mecum sentiet, quicumq; audierit. Tale fuit Anselmi fatum, quod ipse iam superauit: ac iuberet, si sensus in eo esset, æquo animo ferre suos. Occasio eiusmodi fuit: colebat adolescentulus & exercitia corporis, & pater iusserat in armis exerceri filium: neq; hoc nouum est, præsertim in ordine equestri: nec id falsò fieri iudicarunt sapientes, qui palastram in ijs habuerunt, quæ ingenuum adolescentem scire conueniat. Itaq; se etiam cum æqualibus domi exercebat, nec ijs nisi carissimis & amicissimis, qui se lædi, quàm illi nocere omnes maluissent: euenit, quod euenisse scimus alijs, nobili præsertim loco natis, & regum filijs, & ipsis regibus. Dum enim obtusis gladijs se exercent, non ab aduersario, sed à sodali, & probò & litterato adolescente, vulnus perpufillum, proh dolor, sub sinistro oculo accepit: accersitus euestigio medicus: accersitus & chi-

chirurgus fuit: de quorum neutrius fide & arte quis vnq;
dubitauit. Cum non esset magni mali metus, ac ne læsus
quidem grauer oculus videretur; eius auunculus à fratre
accitus in negotio arduo abiit: adolescens etiam postea
aperto læso oculo aspiciens, discreuit singula, vt oculo
iam nemo metueret, nedum vitæ: quod cum ipse viderim,
publicè lubens profiteor. Primum aliqua, sed graua ex
interuallo accesserunt, quæ medici *συμπτώματα* vocant, quæ
ipsi explicare commodius possunt: atq; ita repente affli-
ctus illis pluribus grauissimis, ex hac misera & caduca vi-
ta adspirauit ad æternam: de qua diuinas promissiones
habemus. Hodiè autem adolescentis exuias terra con-
demus, omnes obtestamur, vt ad funus frequentes con-
ueniatis, qui vltimus putatur honor, què discedentibus è
mortalium consuetudine præstamus: præstabimus verò &
alterum, vt memoriam Anselmi nobilium studiorum tue-
amur & prædicemus. Valete. IV. Kal. April.
Ab. Is. XCIII.

ΠΡΟΓΡΑΜΜΑ quintum.

Sp̄erabam equidem breui futurum, vt Cl. V. Franci-
sco Parcouio, denuò gratularer, pro ea familiaritate,
quæ nobis inter nos est ab vltima ipsius adolescentia, vt
nihil dicam de communitate collegij, cuius etiam inter
bonos arctissimum vinculum non iniuria existimatur. Ve-
rùm id iam secus accidit, vt ei *σωπίχων*: ego sanè ex hoc
eius casu dolorem capio. Quo tempore feminas firmissi-
mè valere, ex re & ipsarum salute est, Parcouij vxor minus
commodè habere cæpit, & deniq; eam præmaturè partu-
rientis dolores asperrimi adorti fuerunt nudiustertius
ante lucem: nec multum sanè aberat, quin vnâ cum foetu
extin-

extingueretur: mater ipsa ex cruciata miserè, vix ibi, sed tamen diuino beneficio seruata fuit, dum perfectum viuumq; foetum enititur, gemellos, ambos filios: de quorum vita cum sperari vix aliquid posset, acciuit eadem hora ministrum ecclesiae, ipsosq; duos filios lauacro regenerationis initiari iussit mœstus pater, alteri Ioannis, alteri Francisci nomine indito, si fortè essent superstites: ita tamen se comparabat, vt quos à Deo dono acceperat, forti animo largitori redderet, æterna salute donandos antè, quàm calamitates generis mortalium, & mortem iam vix etiam sentirent. Non excurram hinc in querelas de conditione & miseria nostra, nec referam vel ex sermone vulgi, vel ex poëtis, vel ex alijs, tragicas & nimium veras exclamationes. Nec enim ijs minuitur hilum, sed contra mirificè potius augetur dolor: nisi quis eò spectet, vt quæ omnibus ferenda subeundaq; sunt, eorum minimi declinationis priuilegium ab auctore vniuersi stolidè frustra q; flagitari ostendat. Est hæc umbra quædam consolationis: ueram animi medicinam ex alio fonte nos petamus, & illa instructus est hic, quamuis mœstus pater, & uxorem consolatur ipse: nunc verò à nobis officium expectat, quod & ipse amicis tribuit, vt vnà in funus gemellorum prodeamus: quod & ego velim à vobis frequentari. Siue enim verum est, siue videtur quisq; de dolore lugentium in se transferre particulam, vel eorum animis solatij aliquid quasi aspergere: præterea Deum precabimur, vt puerperam marito seruet. Valet, V. id. Aprilis. CIO. IO. XCIII.

ПРОГРАММА sextum.

Vetus est illa consuetudo, & proba, ac fortè necessaria, quam & ipse quasi legem religiosè seruandam censeo,

cenſeo, vt ad dies feſtos proponatur hoc loco publice,
quod ex vſu veſtro ſit: ſiue recondita quædam doctrina,
ſiue conſilium bonum. Verùm doctrinas ipſi, partim ex
oraculis cœleſtibus eorumq; ſanis interpretibus cogno-
ſcētis, partim audietis attentè ex doctoribus, qui ipſa ſe-
dulo magnaq; cura docent. Nec verò aliquid noui inau-
ditiq; conſilij habeo: repetam vetus, & pleriq; veſtrum
probè cognitum: quod alienum eſſe aut ſuperuacaneum,
exiſtimare nemo debet. Sape nobis ipſi in codicillis no-
tamus, quæ gerenda ſunt, etſi ea obliuiſci non poſſe vi-
deamur. Nec ignorabat Philippus Macedo, ſe mortalem
eſſe: tamen alebat puerum, qui hoc vnicum ageret, vt i-
pſi, è cubili prodeunti, quotidie hoc verbum clara voce
occineret: Philippe homo es. Norat enim minus ipſe
ditteratus, ex diuturno vſu vitæ, eſſe in animo ſuo appeti-
tum, fortè non vnius generis, qui rationis lucem ſape
obfuſcaret, & interdum extingueret: quod ne ſapius e-
ueniret, idem carmen audire toties malebat, quo & bru-
tus ille animi impetus compeſceretur, & in eodem ignis
ille diuinus luceret clarius. Non erret, qui hunc imite-
tur, & quotidie, quo ſibi ad rectam vitam opus eſſe intel-
ligat, vel dicat, vel legat, vel audiat: nec errant parentes,
qui identidem eadem decantant liberis. Sapienti rectè
ego quoq; facere iudicabor, qui dicam, quod omnes no-
ueritis, modò aliquibus vtilitatem adferat: etiamſi deli-
catis faſtidium pariat. Quid igitur id eſt? vt, quod vni-
cuiq; noſtrum ſemper laborandum eſt, potiffimùm diebus
feſtis prophana deteſtemini, & longiffimè fugiatis, deſi-
diam, ſomnum, vinum, eiufdem generis ſimilia, quæ me-
ditationi, quæ pietati obſtare videantur. Nam nec atti-
net, nec fieri poteſt, vt recenſeamus omnia. Tætrius au-
tem & nocentius vix aliquid eſt luxu: in quem, quo em-

F

pore

porè minimè omnium oportet, non diuites solùm, sed & tenues horum exemplo, velut in cœnosum gurgitem, nobilissimam & diuinam partem animæ demergunt, vt hæc humana non aspiciant, nedum cœlestia. Non minus grauius hodie à plerisq; peccatur, quàm peccatum fuit olim à scurris, qui ad sacrificia, si qua ab opulentis superstitionè fieri dijs fictitijs odorarentur, subito aduolarent, tum vt dicacitate alios oblectarent, alios offenderent, tum vt victimis & vino farcirent ingluuiem. Nos verò neq; festis diebus, neq; profestis talium βασιλόχων similes esse oportet. Quin purgata mente ad sacra, & ad ipsum Deum accedamus propius: eius beneficia, tum quæ dedit hæcenus, tum quæ deinceps daturus est, agnoscamus: tam magnifico & illustri huius caducæ vitæ, & cœlestium æternæ largitori, gratias agamus: nos ei totos, nostraq; omnia mancipio tradamus: nec verò oculos animi aliò attollamus, quàm ad vnicum seruatorem ipsi fidentium, & fidei veritatem animo, verbis & actionibus sincerè testantium. Verùm, vt dixi, ipsi legite & meditamini sacras literas, & audite earum præcones, & interpretes. Aequum etiam est, vt aliquod grati erga eos animi signum, ostendamus: quod nec ipsi his diebus obliuiscemini, ac nobis & monentibus & præeuntibus facietis haud parca manu. Valete. pridie Paschatis. Anno circ. d. c. xliii. p.

Visum fuit duo præterea προγράμματα subijcere, tum quia & ipsa lectione digna sunt, tum vt duorum præstantium iuuenum memoriæ consulam: præsertim cum ob probitatem, modestiam, ingenium & diligentiam exemplo esse æqualibus posse videantur.

PRORECTOR ACADEMIAE
IULIAE ANDREAS CLVDIVS
I. V. D. S.

ET grauem & benè longam orationem apud sapientem
tragicum ad ciues suos habet ipse rex, qua in cæteris
cùm miratur admodum, tum etiam queritur: per urbem
Cadmi vno eodemq; illo tempore exaudiri in omnibus fe-
rè vicis, & pæanas, magna lætitiæ argumenta, & gemitus,
certos calamitatis indices. Hæc enim eum in cæteris lo-
quentem inducit Sophocles: πόλις δὲ ὄμει μὲν θυμαμάτων γέ-
μας, οὐκ ἔστι πάραντων τε ἔσυναυμάτων. Nec videri verò debet non
nisi Thebarum eum, qui tum erat, statum depinxisse: sed
quoq; respexisse ad conditionē generis mortalium, quæ o-
mnibus in locis fit & omnibus sæculis. Non enim in quo-
que oppido & vico, sed etiam in vnaquaq; domo ita viui-
tur, vt cum omnibus de causis videatur esse, quod pleriq;
gaudeant, tum habeant aliqui & interdum vniuersi, quod
doleant. Vt de nostro cætu loquar; floret apud nos resp.
litteraria, Dei beneficio, mediocriter, frequentia & mo-
destia discipulorum, ac docentium præstantia & fide, & agi-
tur in præsentia, vt aliqua rectius, omnia constituentur
firmius, quibus nominibus gaudere, & non tam nobis,
quàm reipublicæ debemus gratulari. Quæ interea nos
molestent & premant alia, aperire, huius loci non est: v-
num dolorem silentio præterire non possumus, vel gemi-
num potius, inflictum nobis hesternò die morte permo-
desti & benè eruditi iuuenis, Henrici Fischeri. Paternè
enim afficimur, quòd eiusmodi alumnus nobis ereptus est,
quem merito suo amauimus, quòd se ordine nostro di-
gnum gereret. Iam verò ipse vestigijs paternis ingressus,
potius disciplinæ spacium confecerat, ita vt metam oculis

etiam posset contueri: quo maior fuit de ipso spes & certior: futurum ciuem magno vsui patriæ & ornamento. Patrem enim Ioannem Filcherum I. V. D. eximium, benè de patria meritū, nemo nostrum ignorat omnium, idq; in hunc diem agere. Cum enim bonas litteras didicisset, & cum in Germaniæ, tum in Galliæ academijs legum disciplinam magna diligentia coluisset, non solum in iuris peritorum ordinem, sed etiam in iudicum prouincialium Marpurgi apud Hessos fuit relatus. Landgrauius verò Georgius, Philippi fortissimi principis filius, ei deinceps dignitatem & munus Cancellarij attribuit: vnde laudem veram reportauit in patriam. Accersitus enim à sapientissimo & humanissimo principe Erico, duce Brunsvigensiu, ab eodem primum præses iudicij prouincialis, quod Mundæ fuit ad ostium Visurgis, qui ibi à Fulda Verraq; confluentibus editur, & Cancellarius designatur: quæ officia quàm rectè & diuinitus gesserit, cum in omnium ore est, tū restatur consiliariorum principis concordia. Cum enim hic ferè semper longè gentium abesset domo, ipsi consilijs animisq; consentientibus rectè feliciterque res patriæ administrarunt, vt & duci & populis omnes suas rationes facile probarint. Cum Ericus in Italia Papiæ ad Ticinum decessisset, & altera Brunsvigensium prouincia cederet felici & benignissimo duci Iulio, non minus & huic magnus ille vir, Henrici pater, carus fuit, semperq; habitus in primis senatoribus. Aliquot annis post exempto item rebus humanis duce Iulio, eximius princeps, dux noster Henricus Iulius, qui ad virtutes heroicæ maiorum adiunxit nouam, studium videlicet sapientiæ, quod in vnoquoq; rege verum solidumq; requirebat Plato, vt beati essent populi, eiusdem consilijs vtitur, quem etiam in precio habet. Hæc de viri tanti meritis erga patriam: in re
fami-

familiari autem omnia educationi liberorum postposuit:
in qua & ipsorum salutem, & non quoque nullam patriæ
verti sapienter existimabat. Cum filium ad humanitatem
natum vidisset, statim litteris destinavit, & misit Verdum
in ludum litterarium optimè constitutum, quem præsul
Eberhardus paullo antè fundauerat, nunc eius successor
in præfulatu dux Philippus Sigismundus, princeps idem
fortis & prudens benignè fouet. Ibi adolescentulum
& præceptoribus & condiscipulis propter probitatem
& diligentiam carum admodum fuisse accepimus: cum
bono profectu Herbarnam venit: adolescentem in aca-
demiam Marpurgensem misit pater, quem cum sibi pro-
posuisset in vita & studijs imitandum, eloquentiæ & hi-
storiæ & iuri se totum dedit: anno abhinc ad nos venit.
Sic se apud nos gessit, vt iuuenem sine exceptione laudent
in omnibus æquales, & quotquot ei familiares fuerunt.
Hic dies est XV. quo præter consuetudinem corpore pri-
mum æstuarè cepit, haud ratus in tanto se vitæ esse pericu-
lo: id fuit febris ardentissimæ principium: de qua cum
accepisset in aula pater, nec morbus ita grauis nunciare-
tur, vt neq; initio fuit, cumq; ipse minus cõmodè valeret,
domum properauit, vt valetudinis rationem haberet: ac-
cesserunt, quæ medici *πυρετώματα* vocant, aliud ex alio. Ete-
nim nec ipse somnum iam capere, & interdum mente erra-
re: lingua etiã nigrore tingi, vt prætereamus alia: deniq;
medici arte natura fulciri amplius non potuit, sed heri,
proh dolor, crisi succubuit, quodq; in hoc graui malo, &
prudentissimo patri, & nobis solatio esse poterit, cū vitam
sanè breuem, (etsi omnis longissima perbreuis, nec vnum
momentum respectu æternitatis est) in pietate, virtute &
bonæ doctrinæ studio transegisset, piè & placidè decessit,
animaque ex hac caduca & misera in æternam, & semper
beatam

beatam vitam migravit. Quamquam igitur non malè a-
ctum, sed prorsus beatè cum Henrico, præclarè intelli-
mus: tamen & nos & patriam tam bono & erudito, &
summæ exspectationis iuvene spoliatos dolemus, vt est
humanitatis. Duplicat autem dolorem nostrum dolor
patris, amici nostri, & singularis litterarum patroni, quem
ex hoc tristi nuncio accipiet. Sed ille pro sua prudentia
non se totum demerget in luctum, nec dabit manus dolo-
ri, quod & ipsum amicè obtestamur: nec defuturi sunt,
qui, si opus sit, ægerrimo eius animo medicinam faciant.
Exuuias autem iuuenis, academiæ nostræ cum per se tum
propter patrem adeo cari, hodiè in æde sacra reconde-
mus. Funus fiet ad horam diej XII. ad quod vos frequentes
conuenire volumus, quod vltro facturos confidimus, &
non solùm ad considerationem fragilitatis naturæ homi-
num, sed multò magis ad officium & voluntatem modera-
toris vniuersi, omnem animi cogitationem defigere iube-
mus. VI. Non. Mart. cis. is. xcii.

PRORECTOR ACADEMIAE IULIAE,
FRANCISCVS PARCOVIVS, ARTIS
MEDICAE DOCTOR ET PRO-
FESSOR S. P. D.

Solius hominis esse dignitatem quandam, siue maiestatem, præ-
cæteris animantibus, & satis animaduertimus, & in conditorem
& patrem omuium grati, agnoscimus. Quod si ex altera parte con-
ditionem nostram spectemus, nemo est, quamuis genere clarus, atate
virens, viribus valens, amicis & opibus potens, honoribus ma-
gnus, nec fortunæ solum, sed dotibus etiam animi præstans, qui de sua
felicitate sibi certi ad vnum diem aliquid habeat polliceri. Id ani-
maduersum ab initio, occasione dedit & populo & sapientibus, vt alij
aliter hanc miseriam pingerent, dum vnumquemque nostri generis,
cum folio, cum bulla, cum volatu muscæ, cum ymbra, cum
somnia,

somnio, deniq; cum ymbra somnij comparant. Et vero hasce imagines & exempla ipsa fragilitatis nostræ considerare rectum puto, non vt nos animis torqueamus, sed vt rectæ vitæ rationem ineamus, præter consuetudinem potissimæ partis mortalium. Nec hic opus est peruersa hominum studia recensere: quo nos referamus, nouimus, vt hoc spatium breui omnino, quotquot annorum futurum sit, confecto, transeamus in meliorem, nec caducam, & calamitatis expertem vitam. Huiusmodi quædam animis nostris obseruari semper quidem debent: seu in deductione funerum meritò in considerationem veniunt: atq; ita studij siue humanitatis nostræ non leuem fructum domum reportabimus. Intueamur & hoc exemplum. Venit in academiam Iuliam superiore anno, Gregorius Schellenbergius, Lubecæ non obscuro loco natus. Patrem enim habuit Dauidem Schellenbergium, virum vitæ integræ, litteris eruditum, doctis amicis, beneficis in tenues, humanitate singulari præditum, pharmacopæum in patria primarium, qui, dum officium facit, dum rem familiarem curat, dum educationi liberorum studet, è medio cursu facto euocatur. Sapiens deinde senatus curam pharmacopolij credidit Ioachimo Tonaglo, cui suo nouo, à maioribus Megapolitano, Dorpatinato, exuli Liuonio, litterarum humanitatis cultori eximio, ingenuis artibus exculto, sic in scriptis veterum versato, vt veterum similia, si conetur, ipse pangat, viro integerrimo, & cum humanitate tum elegantia morum prædito. Quæ enim studia à puero cum alibi, tum in academia Rostochiana sedulo coluerat, quibus animum non minus, quàm mores & linguam informarat, neq; postea deposuit, quando mercaturam faciebat, mercaturæ bonarum artium negotiationem minimè anteponebat, neq; in hunc diem negligit, quod olim diuinitus instituerat. Tonaglus ille tùm viduam Annam Schellenbergiam, florentem ætate, probam & pudicam mulierem, quam vidisset mariti cultricem sedulam, educatricem liberum sollicitam, rei familiaris curatricem perpetuam, vxorem duxit: & quod erat boni viri, priuignos pro liberis habens, ijs in omnibus ita capit consulere, vt suis, quos susciperet: homo ita factus, cuiusmodi ad Platonem prædicat Chion Heracleotes, amicitia & officij studiosior, quàm augenda rei: quod etsi rarum, non tamen est alienum à natura legitimè negotiantium. Vitricus igitur, quod patrem esse facturum audierat, sue

sue quod ille iam cæperat, Gregorium litteris educari porrò iussit, primùm domi: misit postea in patriam meam, cumq; vixerit Rostochij apud patrem meum Franciscum Parcouium, pater puero testimonium probitatis semper tulit, præceptor diligentia in litteris: in hisce progressus etiam maiores fecit in gymnasio Lubecensi. Cum ea essent iam studia, ea ætas, ea statura, is animus adolescentis, misit Tonaglus priuignum ad nos, eumq; potissimum commendauit amico veteri, & Dauidis Schellenbergij & suo, Cl. V. Ioanni Caselio, cuius domi Gregorius viueret, & consilio in cultura litterarum vteretur. Non defuit collega noster amici filio, cuius ingenium, probitatem animi, modestiam, doctrinæ principia, diligentiam probaret: in primis elucebat, quæ in paucis, in adolescentis ore verecundia virginalis, cuiusmodi Lacedæmonios, quamuis rebus magnis militiaq; destinatos fuisse, prædicat Xenophon, ille non solitaria, sed civilis vitæ cultor eximius, & dux belli inter priscos clarus. Cum sobriè admodum viueret, litteras magno studio facilè coluit, vt in hoc genere temperantiam quoq; ipsi aliquando imperaret hospes, iubens eum studere non minus valetudini: sine ea vitam perire aut acerbam esse, sine ea nec studia doctrinæ, neq; officium satis coli posse, inquit. Videbat enim eius valetudinis tenuitatem, cui vtinam vel diæta & remedijs potuisset consuli, & ille vitam hanc ad senectam colere. Iuuisset enim & ornasset vitam hominum, quem virum bonum ac egregium ciuem futurum, ex omnibus signis appareret: præsertim qui adolescentiæ studia pænè absoluisset. Erat enim in principijs partium philosophiæ, & bonos scriptores legebat, quod hodiè iuuentus negligit, & quæ vitrico & hospiti visa fuerant, qui ad naturam illius & ingenium consilium suum accommodabant, erat secuturus. Hoc dum agit, apud nos se fit ipso de mense in mensem imbecillior: æstuabat sæpè toto corpore, ex interuallo erysipilate correptus, his diebus ex lassitudine membrorum decubuit, medicinam iacenti fecimus: deniq; cum natura sibi opis nihil ferret amplius, inter medentium & familiarium manus, ad XV. K. Quintil. ipso meridie, consolatione accepta ab ecclesiasta præsentem, fidem in seruatore nostrum vnicū professus, certa expectatione reuiuiscendi ad cœlestis ecclesiæ consuetudinem, spiritū Deo tradidit. Præstemus vita mortali functo hoc officiū, vt corpus ad monumentū deducamus, & simul salutem nobis à fonte salutis petamus. XIX. Kal. Quintil. Cl. Is. xcII.

ULB Halle
003 338 150


3



TA-OL

VD 77







12

1594, 2

4



Caselin
JOANNIS ~~TO~~ FELII
ΚΥΒΕΡΝΗΤΙΚΟΣ
SIVE

De officio rectoris academici

L. m. ORATIO. J. C. *to.*

Tobia Hubnero. φίλω

φιλάττω.

Μαυρίδι.



P. 412.

HELMAESTADII
IN ACAD. IVLIA

• clo 15 xciv.

